

ctissimo lavacro novi natalis ascenditis, et pri- A jiciente <sup>79</sup>, *Petite et accipietis* (Matth. vii, 7), in-  
 mas <sup>78</sup> manus apud Matrem cum fratribus ape- quit. Quæsistis enim et invenistis; pulsastis, et  
 ritis (82): petite de Patre, petite de Domino, pe- apertum est vobis. Tantum oro, ut cum petitis  
 culia, gratias, distributiones charismatum, sub- etiam Tertulliani peccatoris memineritis.

## Variæ lectiones.

<sup>78</sup> *Hæc vox redund. visa fuit Jun.* <sup>79</sup> *Subjacente Paris.*

## Commentarius.

(82) *Primas manus aperilis.* Orabant manibus  
 expansis. Itaque primas manus dicit, tum primum  
 a fide ad orationem apertas sive expansas RIG.

— *Apud Matrem.* Apud Ecclesiam. Sic lib. *de*  
*Idololatria.* « Attollere ad Deum Patrem manus. »  
 RIG.

## Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANI

## LIBER

## DE POENITENTIA.

*De Pœnitentia* librum eo tempore scripsisse Tertullianum, quo nondum Montani dogmata sectaretur, libri ipsius argumentum edocet; in eo enim post baptismum lapsi ad pœnitentiam excitantur, quam Montanistæ dandam esse negabant: « Omnibus ergo, aiebat, delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spon-  
 dit dicens: *Vivo ego, dicit Dominus, pœnitentiam malo magis quam mortem.* » (Infra, cap. 4.). Et capite ?  
 diserte unum ex præcipuis Montanistarum erroribus impugnat, demonstrando eos, qui post baptismum  
 peccata commiserunt, ab Ecclesia absolutionem eorum impetrare posse, dum eos illorum pœniterit.  
 An is liber sit Tertulliani, nemo neque olim dubitavit, neque nunc dubitat. Unus erat Erasmus Rotte-  
 rodamus, eundem Tertulliano detrahere conatus, quem non nisi Beatus Rhenanus secutus est, uterque  
 uni huic argumento, satis imbecilli, innixus, styli diversitatis. Atque hunc quidem non nego in hoc  
 libro paulo floridiorem esse, sed non magna a reliquorum, etiam quos extrema ferme ætate scripsit,  
 diversitate, et solum in quibusdam allegoriis ac metaphoris paulo illustrioribus sita. Quodsi vero  
 similes flosculos ex aliis ejusdem areolis decerpere vacaret, facile integras corollas nectere possem.  
 Cæterum ex sola et quæcumque styli discordantia, nisi aliorum et graviorum quidem argumentum  
 adminicula concurrant, vix auctorem suspectum fieri, ne dicam, aliquid contra eundem decerni  
 posse, pridem sensere alii optimæ notæ critici, ex quibus vel unum adduco Guillelmum Caveum, qui  
 in *Hist. suæ litterar.* Prolegomenis, sect. iv, num. 64, tum demum, ceu suppositionis argumentum  
 probari ait, « si stylus totiusque rationis contextus, sit longe diversus ab eo dicendi caractere, quo  
 in genuinis suis usus est auctor. » Atqui vero adeo non longe diversum quivis legens deprehendet, ut  
 potius præter paucas quasdam phrases, paulo excitatiores, et in aliis Tertulliani scriptis vix occurrentes,  
 Afrum illud ac concisum eloquii genus, uni ferme Tertulliano proprium, illa deinde styli velut quædam  
 majestas, sensuumque in singulis prope verbis ubertas; illa grandis eloquentia, quæ, utut dura sit, nescio,  
 quomodo tamen lectorem vel invitum ad se rapere potest, non minus in hoc libro triumphet: ut nil dicam  
 de aliis phrasibus, ex aliis ejusdem libris tam 1225 sedulo expressis. Fatetur dein ipse Beatus Rhenanus  
 « auctorem hujus libri verbis et figuris iisdem uti, et quisquis fuerit, ejus indubie esse sæculi, et Ter-  
 tulliani studiosissimum; » quidquid vero Tertullianum ipsum? Quis enim alius stylum ejus, certe singula-  
 rem et vix a quopiam imitabilem, tam scite expresserit, ut apud S. Pacianum, sæc. iv scriptorem,  
 omnesque alios per plusquam undecim sæcula ad Erasmum usque, pro ipso Tertulliano fefellerit, et nulli  
 unquam ex styli diversitate quidpiam de alio libri hujus auctore supoluerit? Tandem ergo ex illa qua-  
 licumque demum styli discordantia plus argui non posse censemus, quam Tertullianum, cum adhuc  
 vegetiori esset ætate vivaciorique ingenio, hanc scriptionem suscepisse. Solent enim ingenia ejusmodi  
 fervida ac agilia, instar apum, per varios flores circumvolitare, atque ex alienis etiam rebus allegorias  
 et metaphoras exsugere, suumque in alveare eas comportare. Solet item ætate sensim provectori  
 subsidere stilus, temperatiorque et robustior fieri. Et denique haud facile scriptorem quisquam repe-  
 riet, qui perpetuo sibi constet, præsertim si non uno continuo opere protraxerit, sed per varias, neque

cohærentes materias, variis temporibus annisque ipsis interpolatas, circumduxerit calamum. Est enim quædam suapte natura tristior aut humilior, atque exsucca magis, quæ juvenilis quoque ingenii vigorem satis retundat atque deprimat, et ad quam succulenta cæteroquin virorum eloquentia velut exarescat: est autem alia rursus materia suavior amœniorque, et ipsius auctoris ingenio accommodatior, quæ languidius cæteroquin ingenium salis excitare ac stimulare queat: est denique ita vivax ac radiosum quidpiam diffundens, quæ scribentem penitus incendere ac inflammare, quem et ex senectute jamjam cinericia diu consopitos igniculos quandoque suscitare valeat. Sunt deinde alia quoque, scribenti aliunde, ac velut per obliquum, advenientia, quæ tamen ad ejus ingenium, ut ita dicam, alterandum quandoque multum possunt. Quid mirum igitur, si neque Tertullianus undequaque sibi constet, sed, cum primitus, licet jam adultiori ætate, se ad scribendum contulit, nonnihil alacriori stylo usus fuerit, deinceps aliis in ejus operibus nonnihil magis subsidente, majorique eruditionis apparatu ornatum velit compensare?

Si jam vero tempus ipsum, quo hunc tractatum exaraverit, paulo propinquius (quanquam id præcise fieri nequeat) designandum sit, ita opinor, hanc tractationem certo ante annum Christi 200 et verisimiliter anno 197 aut fortasse maturius, litteris consignatam fuisse, certe autem et hujus, et alterius de baptismo scripti, tempus baud procul invicem distare. An vero librum *De Baptismo* huic *de Pœnitentia*, an hunc illi, scribendi ordine, subjunxerit, vix quidquam determinari potest. Verisimilius tamen mihi quidem videtur, subjunxisse; si enim hunc *de Pœnitentia* præmisisset, credo, in cap. ult. *de Baptismo*, ubi de pœnitentia, baptismo instar præ orationis præmittenda, agit, hujus, ceu jam alibi fusius pertractatæ, 1226 nonnullam mentionem facturum fuisse. Certe autem in ipso libro *de Baptismo* ad finem cap. 45 lectores suos ad alium de eodem tractatum, jam antea *Græco sermone* exaratum, solerter remittit. Quis ergo male videtur opinari, si materiam hanc *de Pœnitentia*, quam ad calcem libri *de Bapt.* nonnihil brevius perstrinxerat, novo consilio, et in peculiari libro ampliorem ejus tractationem postea suscepisse dicatur, et quidem partim in catechumenorum gratiam, ut hi eo majorem de baptismi pretio æstimationem conciperent, quem intelligerent tam laboriosis pœnitentiæ operibus comparandum esse? Quidni ergo in his se eo ardentiori deinceps studio exercerent, ut tam largiter propositum baptismi præmium, ejusque gratiam, eo certius consequerentur, eoque tutius deinceps conservarent?

Denique vero præclarum de hoc libro judicium audiendum est, quod ipse Beatus Rhenanus, vir magni judicii, in præmisso ad eundem argumento tulit, nempe « commentarium hunc esse ejusmodi, ut theologi eum debeant ad unguem ediscere; nam egregium, » pergit, « monumentum est antiquitatis; tam sancte docet, tam pie suadet, tam instanter urget rem ecclesiasticæ disciplinæ summopere necessariam, EXOMOLOGESIN, hoc est, actum et ministerium pœnitentiæ. » Certe autem ut passim ex Tertulliano veteris Ecclesiæ traditiones et disciplinam addiscimus, ita etiam hic, insigni contra novatores nostros utilitate, modum agendæ pœnitentiæ, prout ea primis mox sæculis et utique ex apostolica institutione, agi consueverat, pulchre solideque docemur. LUMP.

ARGUMENTUM. Principio generatim de pœnitentia pertractat (cap. 1) eamque necessariam adstruit pro omnibus peccatis et delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis (cap. 4). Dein duo distinguit pœnitentiæ genera. Prior est, quæ baptismo debet præmitti a catechumenis, seu quæ agitur ante baptismum (cap. 6); posterior eorum, qui in peccata gravia post baptismum infeliciter lapsi, ex iis exsurgunt operosa pœnitentia. In priori parte necessitatem sese prodandi urget, et sese præparandi ad baptismi gratiam vera pœnitentia. Baptismum inanem esse non veretur asserere, cum aliquem peccatorum suorum non pœnituit, nec vita emendavit, et vanam esse fiduciam, sibi fingere, cum quis prave ad baptismi usque diem vixerit, eum repente in virum sanctum evasurum, et a peccato desiturum, ubi primum illud sacramentum receperit (cap. 6). Tractatus hujus pars posterior est de pœnitentia post baptismum, quæ Exomologesis dicitur. Testatur cap. 7) illico se ægre de hac posteriore pœnitentia loqui, quæ postrema spes est iis reliqua, qui criminibus, h. e. peccatis atrocibus post baptismum se obstrinxerunt, ne, inquit, de hac nova a peccatis exsurgendi ratione agendo, a Deo nobis oblata, de novo peccandi viam aperire videatur. Illius postea pœnitentiæ publicæ Exomologesis dictæ operosa depingit exercitia (cap. 9), ejus necessitatem demonstrat (cap. 11), ac tandem eos objurgat, quos eam amplecti pudebat, criminibus post baptismum admissis (cap. 10).

#### 1227 CAPUT PRIMUM.

Pœnitentiam (1) hoc genus hominum, quod et

ipsi retro fuimus, cæci, sine Domini lumine, natura  
tenus norunt passionem animi quandam esse quæ

#### Commentarius.

(1) Multa fuere olim et recentius docte sapienterque dicta de hujusce libri argumento, multa

simul de multiplici veterum Christianorum pœnitentia, ac præsertim de ea quæ vocatur *Exomologese*.

veniat de offensa sententiæ prioris <sup>1</sup>. Cæterum a ratione ejus tantum absunt, quantum ab ipso rationis auctore : quippe res Dei, ratio ; quia Deus omnium conditor, nihil non ratione tractari intelligique voluit. Igitur ignorantes quique Deum rem quoque ejus ignorent necesse est, quia nullus omnino thesaurus extraneis patet. Itaque universam vitæ conversationem sine gubernaculo rationis transfretantes imminentem sæculo procellam (2) vitare non norunt. Quam autem in pœnitentiæ actu (3) irrationaliter <sup>2</sup> deversentur, vel uno isto satis erit expedire, eum illam etiam in bonis factis suis adhibent. Pœnitentia fidei, amoris, simplicitatis, patientiæ, misericordiæ prout **1228** quid in ingratiam cecidit. Semetipsos exsecrantur (4) quia benefecerint, eamque maxime pœnitentiæ <sup>3</sup> speciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde fingunt <sup>4</sup>, meminisse curantes, ne quid boni rursus præ-

stent ; contra, pœnitentiæ malorum levius incubant <sup>5</sup> : denique facilius per eandem <sup>6</sup> delinquant, quam per eandem recte faciunt.

## CAPUT II.

Quod si Dei ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita primo pœnitentiæ expenderent, nec unquam eam ad <sup>7</sup> argumentum perversæ emendationis adhiberent ; modum denique pœnitendi temperarent, quia et delinquendi tenerent ; timentes Dominum scilicet (5). Sed ubi metus nullus, emendatio proinde nulla. Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana : quia caret fructu suo, cui eam Deus sevit, id est hominis salutem. Nam Deus post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis, ac principe generis **1229** Adam auspiciata (*Gen.* III), post condemnatum hominem cum sæculi dote (6), post ejec-

## Variæ lectiones.

<sup>1</sup> Sententiæ peioris *Semler.* <sup>2</sup> Irrationabiles *Rig. Paris.* <sup>3</sup> Patientiæ speciem *Semler.* <sup>4</sup> In corde figunt. *Semler. Leop.* <sup>5</sup> Contra patientiæ malum. *Seml. quod emendaverat Rhen. e cod. Gorz. et post eum Rigal. Paris. Venet. Franeg.* <sup>6</sup> Per eam r. *Wouw.* <sup>7</sup> Ad augmentum *Seml. Leop.*

## Commentarius.

sis, cum publica criminum satisfactione, perperam ac malesana mente olim et recentius permista ; nec etiam abuerit severior nota optimis quibusdam Tertulliani commentatoribus, ac proinde nemini in nos suggillandum erit, dum in hujus libri fronte pauca perstringamus capita, præcipuasque stabiliamus conclusiones de institutione, progressu et cessatione pœnitentiæ solemnem. Eandem fusius breviusve describendam susceperunt provinciam ex veteribus post Tertullianum B. Cyprianus in *libris epistolisque de lapsis adversus Novatianum* ; item S. Pacianus lib. et epist. 2 ad *Sympronianum, ac paræn. ad pœnitentiam* ; D. Ambrosius, lib. II de *Pœnitentia* ; Joh. Chrysostomi ac τὸν μακρότερον Ephrem *homiliæ sermonesque de Pœnitentia* ; Fulgentius lib. II de *Remissione peccatorum ad Euthymium*. — Inter recentiores unus omnium instar est ac nemini ea de re secundus doctiss. Morinus, de *Sacrament.* lib. IV, cap. 9, 10, cujus porro totam doctrinam satis ibi erit ad quædam brevia capita reductam proponere. Cum eo igitur clarissimo viro statuendum est, 1° pœnitentiam ab initio Ecclesiæ usque ad Montani hæresim, id est ad annum circiter 175 breviorum fuisse et clementius inflictam ; 2° a Montani ævo ad Novatum usque, id est ad annum circiter 250, levem ac brevem fuisse pœnitentiam, si cum subsequentis ævi severitate comparatur ; tunc tamen non nihil crevisse, quoad modum et tempus, etsi istud necdum in specie determinatum fuerit ab Ecclesia ; 3° post Novatianum schisma graviolem ac diuturniorem fuisse pœnitentiam, quam prius, eique certa temporis spatia præfixa fuisse, variis in classibus evolventa, idque in Orientali Ecclesia ante viguisse quam in Occidentali ; 4° in Ecclesia Orientali post quartum sæculum, in Occidentali vero, post septimum multo tempore refriguisse solemnem pœnitentiæ disciplinam, fereque in desuetudinem abtisse prædictæ pœnitentiæ stationes ; 5° non omnia lethalia etiam publica, nec clericos omnes, saltem majores, publice reos, pœnitentiæ solemnem subjacuisse ; 6° pœnitentiam publicam, nisi forte quoad crimen hæreseos, nunquam iteratam fuisse. — An vero, sublata peccatori relapso publicæ pœnitentiæ medicina, nihil jam ille in clavibus haberet remedii, anceps agitur controversia. Affirmat Alaspineus

lib. II. observ. 5 ; Morinus lib. V, cap. 27 ; Petavius in *Epiphani.* ad hæres. 59. Contra vero Nat. Alexander dissertat. 10 in *Hist. sæcul.* III. Eadem est Tournellii opinio, ac omnino videtur posterior illa tenenda. Cf. theol. *Curs. complet.* tom. XXII, p. 691. Ad isis imprimis Cl. P. Corbiniani Thomæ luculentos de hoc ipsomet libello Tertulliani commentarios ; quos cum eo loci continuos attexere magnopere juvissent, nimia vero difficultate ac tardiori mora nactos tandem et receptos, ad calcem hujusce editionis Tertullianæ, quo lectorem remittimus, seponere oportuit. EDD.

— *Pœnitentiam.* Hunc librum Erasmus non esse Tertulliani tandem Rhenano persuasit ; nullo magis argumento, quam styli, ut ipsis videtur, accuratioris. Cujus argumenti vim sane frivolum esse, mecum sensuros omnes confido, qui Septimio legendo attentius incubuerint. Nam et hic genium plane Tertullianicum agnoscent, et in aliis libris, qui nullam status unquam suis controversiam sunt passi, partes ejusdem operis longe aliis accuratioris et elegantioris animadvertent. RIG.

(2) *Imminentem sæculo procellam.* Quam in *Apologetico* dixit, « vim maximam universo orbi imminentem ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem. » pag 447. RIG.

(3) *In pœnitentiæ actu.* Nihil aliud quam in agenda pœnitentia. LAC.

(4) *Pœnitentia fidei amoris, etc., prout quid in ingratiam cecidit, semetipsos exsecrantur.* Quintilianus. *Inst.* XI : « Jus mortis a senatu quidem vel ob aliquam magnam infelicitatem, vel etiam pœnitentiam, petunt. » RIG.

— *In ingratiam.* Nos, attento quod alibi etiam ingratia vocabulo utatur pro ingratitude scripsimus, « prout quid in ingratiam cecidit. » Sic in hoc libro infra. RHEN.

(5) *Timentes Dominum scilicet.* Pertinet hoc ad primam pœnitentiæ partem, quæ est contritio, cujus initium timor Domini, sicut infra cap. 5, et Aug. lib. de *Pœnit.* med. contra quam sentiunt nostri adversarii, dicentes, uti Lutherus, optimam pœnitentiam esse novam vitam, neque ultia contritione opus esse, aut, sicuti Melanchthon, non nisi servili timore quodam qui metum incutiat. PAM.

(6) *Post condemnatum hominem cum sæculi dote,*

tam paradiso, mortique subjectum, cum rursus ad suam misericordiam maturavisset (7), jam inde in semetipso pœnitentiam dedicavit, (8), rescissa sententia irarum pristinorum, ignoscere pactus (9) operi et imagini suæ (*Gen. viii et ix*). Itaque et populum sibi congregavit, et multis bonitatis suæ largitionibus fovit, et ingrattissimum totiens expertus, ad pœnitentiam semper hortatus est (*Gen. xii*): et prophetando universorum prophetarum emisit ora (10), mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per Spiritum suum universo orbi illuminaturus esset, præire intinctionem (11) pœnitentiæ jussit, si<sup>8</sup> quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abraham destinata, per pœnitentiæ subsignationem<sup>9</sup> ante componeret (12). Non tacet Joannes, Pœnitentiam innotuit, dicens (*Matth. iii*): jam enim salus nationibus appropinquabit, Dominus scilicet (13), afferens secundum Dei promissum, cui præministrans, pœnitentiam destinabat purgandis mentibus<sup>10</sup> propositam, uti quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset (14), id pœnitentia verrens et radens, et foras abjiciens mun-

dam pectoris domum superventuro Spiritui sancto paret, quo se ille cum cœlestibus bonis libens **1230** inferat (15). Horum bonorum unus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissa. Hæc pœnitentiæ causa: hæc opera negotium divinæ misericordiæ curans: quod homini<sup>11</sup> proficit (16), Deo servit. Cæterum ratio ejus, quam cognito Domino discimus, certam formam tenet, ne bonis unquam factis (17) cogitatisve quasi<sup>12</sup> violenta aliqua manus injiciatur (18); Deus enim reprobationem bonorum ratam non<sup>13</sup> habet utpote suorum, quorum cum auctor<sup>14</sup> et defensor sit, necesse est proinde et acceptator; si acceptator, etiam remunerator. Viderit ergo ingratis hominum, si etiam bonis factis pœnitentiam cogit. Viderit et gratia, si captatio ejus ad benefaciendum incitamento est, terrena, mortalis utraque. Quantum enim compendii, si grato benefeceris? vel dispendii, si ingrato? Bonum factum (19) Deum habet debitorem, sicuti et malum: quia judex omnis remunerator est causæ. At cum judex Deus justitiæ charissime sibi exigendæ tuendæque præsideat, et in eam omnem summam disciplinæ suæ<sup>15</sup> san-

#### Varie lectiones

<sup>8</sup> Ut *Fran. Paris.* <sup>9</sup> Anteponeret *Seml.* <sup>10</sup> Præpositam *Seml.* <sup>11</sup> Profecit *Rig.* <sup>12</sup> Violentia *Seml.* <sup>13</sup> Habens *Seml.* <sup>14</sup> Est, *Wouw. M. S. Seml.* <sup>15</sup> Suæ omitt. *Seml.*

#### Commentarius.

Dotem sæculi dicit delicta, per quæ homo excidit a divina gratia. *RIG.*

— *Cum sæculi dote.* Miseras humanas intelligit, quæ post peccatum mortalibus in dotem assignatæ sunt. *ALBASP.*

(7) *Cum ad suam misericordiam maturavisset.* Optime explicat Rhenanus, « Cum ad suam misericordiam Deus mature se recepisset. »

— *Ad suam misericordiam: maturavisset.* Hoc est mature se recepisset et in tempore. Sic Cyprianus ad Donatum gratiam maturantem dixit. *RHEN.*

(8) *Jam inde in semetipso pœnitentiam dedicavit.* Quasi Deum pœnituerit fecisse hominem: quasi etiam pœnituerit damnasse. *RIG.*

— *Pœnitentiam dedicavit.* Punito Adami peccato, cum mortales novis beneficiis complexset, docuit prius acta pœnitentia emendari posse. *ALBASP.*

(9) *Ignoscere pactus.* Quasi icto nobiscum fœdere. *RIG.*

(10) *Prophetando emisit.* Ad prophetandi munus. *RIG.*

(11) *Præire intinctionem.* Jussit ut pœnitentia baptismum præcederet; quam eleganter docet pœnitentiam ante baptismum necessariam esse. *ALBASP.*

— *Intinctionem pœnitentiæ.* Quam hic intinctionem, mox dicit subsignationem. *RIG.*

— *Intinctionem pœnitentiæ.* Significat baptismum Joannis, qui fuit pœnitentiæ baptismus, præcursor baptismi Christiani, qui fuit etiam Spiritus sancti. *RIG.*

(12) *Per pœnitentiæ subsignationem ante componeret.* Verba sunt e jure petita fisco. Etenim juris auctoribus subsignatæ facultates reo dicuntur, quæ conductorum subscriptionibus obligatæ sunt fisco, et subsignata apud ærarium et censorem prædia, quæ sunt in censum delata. Eo sensu Tertullianus pœnitentiam subsignatam dicit, qua se

apud Deum quis proposito vitæ sanctioris obligavit, adhibito intinctionis sive baptismi sacramento, tanquam signaculo. Sic enim lib. i ad *Uxor.*: « Viduitatem apud Deum subsignatam. » *RIG.*

— *Componeret.* Componere dicitur prætor quos jurisdictione suo compeccit, deque adversariis amicos et quietos reddit. Componit sacramentis suis Deus homines pessime meritos, et in suorum amicorum numero esse jubet. *RIG.*

(13) *Dominus scilicet,* etc. Novas tabulas novum fœdus, Novum Testamentum, Evangelium. *RIG.*

(14) *Ignorantia contaminasset.* Cum Dei legem ignorarent ethnici, quidquid peccarunt ignorantia fecisse videbantur, *ALBASP.*

(15) *Quo se ille cum cœlestibus bonis inferat.* Significat dona Spiritus sancti, velut invecta et illata præstantissimi inquilini. Eodem sensu libro de *Patientia* dixit, « Rector animus facile communicat spiritus invecta cum habitaculo suo. » *RIG.*

(16) *Quod homini proficit,* etc. Expendatur hoc, quasi dicat, Deus non eget pœnitentia, sed tu eges. Et quia res tua agitur, ideo servitium Deo. Tale quiddam Joan. Chrysost. orat. 2, *adv. Jud.*, ubi tractat locum Malachiæ. *LAC.*

(17) *Ne bonis unquam factis.* Ut gentiles qui manus injiciunt bonis factis, id est, qui cum de bonis factis dolent, crines aut, barbam sibi evellunt. *ALBASP.*

(18) *Quasi violenta aliqua manus injiciatur.* Quæ bene facta aut bene cogitata interficiat et stragulet, convertens in deteriora. Unde illud Ennii:

Quo vobis mentes rectæ quæ stare solebant  
Antehac, dementes, sese flexere vietæ? *RIG.*

(19) *Bonum factum.* Alludit ad formam qua veteres causa boni omissis *bonum factum* præfari solebant. Notavit hoc Turnebus, lib. iii, cap. 22. *LAC.*

olat; dubitandum est, sicut in universis actibus nostris, ita in poenitentiae quoque causa, justitiam Deo praestandam esse? quod quidem ita impleri licebit, si peccatis solummodo adhibeatur. Porro peccatum, nisi malum factum, dici non meretur; nec quisquam benefaciendo delinquit. Quod si non delinquit, 1231 cur poenitentiam invadit, delinquentium<sup>16</sup> privatum (20), cur malitiae officium bonitati suae imponit? ita evenit, ut cum aliquid ubi non oportet adhibetur, illic ubi oportet negligatur.

## CAPUT III.

Quorum ergo poenitentia justo et debita videatur, id est, quae delicto deputanda sint, locus quidem ex postulat denotare, sed otiosum videri potest (21), Domino enim cognito, ultro spiritus a suo auctore respectus emergit ad notitiam veritatis, et admissus ad Dominica praeccepta, ex ipsis statim eruditur, id peccata deputandum, a quo Deus arceat. Quoniam cum Deum grande quid boni constet esse, utique bono nisi malum non displiceret, quod inter contraria sibi nulla amicitia est. Perstringere tamen non pigebit, delictorum quaedam esse carnalia, id est corporalia, quaedam vero spiritalia. Nam cum ex hoc duplicis substantiae congregatione confectus homo sit, non aliunde delinquit, quam unde constat. Sed non eo inter se differunt, quod corpus et spiritus duo sunt; alioquin eo magis patia sunt, quia duo unum efficiunt: ne quis pro diversitate materiarum peccata eorum discerunt, ut alterum altero levius aut gravius existimet. Siquidem et caro et spiritus, Dei res: alia, manu ejus expressa; alia, afflatu ejus consummata (Gen. II). Cum ergo ex pari ad Dominum pertineant: quodcumque eorum deliquerit, ex pari Dominum offendit. An tu discernas actus carnis et spiritus? quorum et in vita et in morte, et in resurrectione, tantum communionis atque consortii est (Joan. v), ut pariter tunc aut in vitam aut

A in iudicium suscitentur: quia scilicet pariter aut deliquerint, aut<sup>17</sup> innocenter egerint. Hoc eo praemisimus, ut non minorem alteri quam utrique parti, si quid deliquerit, poenitentiae 1232 necessitatem intelligamus impendere. Communis reatus amborum est, communis et iudex, Deus scilicet: communis igitur et poenitentiae medela. Exinde spiritalia et corporalia nominantur, quod delictum omne, aut agitur, aut cogitatur, ut corporale sit, quod in facto est: quia factum, ut corpus, et videri et contingi habet. Spiritale vero, quod in animo est, quia spiritus neque videtur, neque tenetur; per quod ostenditur non facti solum, verum et voluntatis delicta vitanda et poenitentia purganda esse. Neque enim si mediocritas humana, facti<sup>18</sup> solum iudicat (22), quia voluntatis latebris par non est, idcirco crimina ejus etiam sub Deo negligamus, Deus in omnia sufficit. Nihil a conspectu ejus remotum, unde omnino delinquitur. Quia non ignorat nes omittit, quominus in iudicium decernat. Dissimulator et praevicator (23) perspicaciae suae non est. Quid quod voluntas facti origo est? Viderint enim, si qua casui, aut necessitati, aut ignorantiae imputantur: quibus exceptis jam non [nisi] voluntate delinquitur. Cum ergo facti origo est, non tanto potior ad poenam est, quanto principalis ad culpam: quae ne tunc quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit. Ipsa enim sibi imputatur, nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem (24), operata quod suum fuerat. Denique Dominus quemadmodum se adjectionem legi superstruere demonstrat (Matt. v), nisi et voluntatis interdicendo delicta? Cum adulterum non eum solum definit, qui cominus in alienum matrimonium cecidisset (25), verum etiam illum, qui aspectus concupiscentia contaminasset: adeo quod urobibetur administrare, satis periculose (26) animus sibi repraesentat (27), et temere per volunta-

## Variæ lectiones.

<sup>16</sup> Privatum abest. Latin. delinquentium privatum? Wouwer. M. S. Rig. delinquentium peccatum? Jun. delinquentium? Privatum cur malitiae Semler. <sup>17</sup> Innocentes Rig. <sup>18</sup> Factis Pam. Seml. e factis Leop.

## Commentarius.

(20) Cur poenitentiam invadit, delinquentium privatum. Sic legitur in cod. Ursini. Poenitentiam dicit esse delinquentium privatum, hoc est rem et curam delinquentium propriam et privatam. Injuste autem facit, qui privatis utitur tanquam communibus et publicis. Privatum absolute, pro agro privato, dicit Ovidius, v *Fastor*.

Vindice servabat nullo sua publica vulgus:  
Jamque in privato pascere inertis erat. RIG.

(21) Otiosum videri potest. Supersedendum esse censet de pietate et religione catechumenorum, qui cum Dei legem perspectam haberent, ultroque poenitentiam amplecterentur, illius elogia aut ad illam adhortationes non postulabant. LE PR.

(22) Facti solum iudicat. Facti, scilicet delicta. Etenim praecessit. « Non facti solum, verum et voluntatis delicta vitanda. » RIG.

(23) Praevicator. Proprie qui prodit causam. Nam et glossæ non solum συκοφάντης, sed etiam προδιδούς τὴν ἰδίαν δίκην, καὶ τῷ ἀντιδίκῳ βοηθῶν. LAC.

(24) Perficiendi infelicitatem. Frustrationem ἀτυχίας. RIG.

— Perficiendi infelicitatem. Metaphora illa ab arboribus ducitur, quæ cum fructus non ferant seu temporis injuria, seu cultorum negligentia, infelices vocantur. LE PR.

(25) Cominus in alienum matrimonium cecidisset. Adultero scilicet concubitu. RIG.

(26) Satis periculose. Ipse Tertullianus lib. *de Monog*: « Habet secum animi licentiam, qui omnia homini, quæ non habet, imaginario fructu repraesentat. » RIG.

(27) Sibi repraesentat. Ex hoc loco Petrus Martyr et cæteri hæretici aiunt hoc verbum praesentem

tem (28) expungit effectum. Cujus voluntatis cum vis tanta sit, **1233** ut <sup>19</sup> non solatium sui saturans pro facto cedat (29), ergo plectetur. Vanissimum est dicere. Volui, nec tamen feci. Atquin perficere debes quia vis: aut nec velle, quia nec perficis. Sed ipse conscientiae tuae confessione pronuntias. Nam si bonum concupisceres, perficere gestisses; porro sicut malum non perficis, nec concupiscere debueras. Quaque te <sup>20</sup> constitueris, crimine astringeris, quia aut malum volueris, aut bonum non adimpleveris.

## CAPUT IV.

Omnibus ergo delictis (30) seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate, commissis, qui poenam per iudicium destinavit, idem et veniam per poenitentiam spondit, dicens ad populum: *Poenitere* <sup>21</sup>, et *salvum facium te* (*Exech.* xviii, 21, 23). Et iterum, *Vivo*, inquit Dominus, et *poenitentiam malo quam mortem*. Ergo poenitentia vita est (31), cum praeponeitur morti. Eam tu peccator, mei similis (imo me minor (32), ego enim praestantiam in delictis meam agnosco), ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulae fidem (33). Haec te peccatorum fluctibus mersum, prolevabit <sup>22</sup> (34) et in portum divinae clementiae protelabit. Rape occasionem inopinatae felicitatis, ut ille tu nihil quondam penes Deum, nisi (*Isa.* xl, 15; *Lxiv*, 8; *Dan.* ii: *Psal.* i, 3; *Jerem.* xix, 14; *Matth.* ii) *stilla silulae, et areae pulvis et vasculum*

*figuli*, arbor exinde fias illa, quae *penes aquas servitur, et in Joliis parennas, et tempore suo fructus agit*, quae non *ignem*, non *securim* videbit. Poeniteat errorum, reperta veritate; poeniteat amasse quae Deus non amat, quando ne nos quidem ipsi servulis nostris ea **1234** quibus offendimur <sup>23</sup> non odisse permittimus. Obsequii enim ratio in similitudine animorum constituta est. De bono poenitentiae enumerando, diffusa et per <sup>24</sup> hoc magno eloquio comittenda materia est. Nos vero pro nostris augustiis unum inculcamus: bonum atque optimum esse, quod Deus praecipit <sup>25</sup>. Audaciam existimo, de bono divini praecipi disputare. Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus <sup>26</sup> praecipit. Ad exhibitionem obsequii, prior est majestas divinae potestatis: prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis. Bonum est poenitere, annon? Quid revolvis? Deus praecipit. At enim <sup>27</sup> ille non praecipit tantum, sed etiam hortatur. Invitat (*Exech.* xxxiii, 14) praemio salutem <sup>28</sup>, jurans, etiam *Vivo* dicens, cupit credi sibi. O beatos nos <sup>29</sup> quorum causa Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus! Quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more sub dejectione testatur, summa utique gravitate et agredi et custodire debemus, ut in asseveratione divinae gratiae permanentes, in fructu quoque ejus et emolumento proinde perseverare possimus.

## Variæ lectiones.

<sup>19</sup> Cur *Franeq.* Paris. *Rigalt.* <sup>20</sup> Converteris *Latin.* Jun. <sup>21</sup> Poeniteat te *Wouw. M. S.* <sup>22</sup> Perlavabit *Franeq.* <sup>23</sup> Nosse *Rhen. male.* <sup>24</sup> Pro *Jun.* <sup>25</sup> Praecipit *Fran. Paris. Rig.* <sup>26</sup> Praecipit *Rigalt.* <sup>27</sup> At ille *Rig.* <sup>28</sup> Salutis *Pet. Ciaconnius*; salute *Rig.* <sup>29</sup> Nos *omittit Seml.*

## Commentarius.

*exhibere*, apud Auctorem non significare; atque adeo cum ait pane Christum corpus suum representasse, non ita accipiendum ut praesens corpus tradiderit: verum huic uni sexcentos opponere possem, ubi *praesentem rem ipsam exponere* significat. ALBASP.

(28) *Es temere per voluntatem*. In eadem sententiam dixerat Juvenal. sat. 13.

Has poenas patitur peccandi sola voluntas:  
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum  
Facti crimen habet. RIG.

(29) *Cujus voluntatis cum vis tanta sit, cur non solatium suis saturans, pro facto cedat?* Sic edidit Rhenanus. Sed retinendam censeo codicis antiqui scripturam hujusmodi: « Cujus voluntatis cum visitanta sit, ut non solatium sui saturans pro facto cedat, pro facto ergo plectetur. » Sic autem interpretor: Qui feminam non suam aspectu concupiscentiae contaminat, imaginaria voluptatis praesentia animo quod concupivit, jam mechatus est in corde suo. Jure igitur voluntas cujus tanta vis est, ut per ipsam animus imaginario fructu delectetur, pro facto plectitur. RIG.

— *Solatium sui saturans*. Animus per voluntatem apud seipsum fecit et adeptus est quod libuit; itaque hoc jam fruitur et saturatur solatio. Nam quod superest non est animi, sed corporis. RIG.

(30) *Omnibus ergo delictis*. De prima poenitentia loquitur, quod non animadvertens Pamelius. nescio quid turbat, aut cur primam cum secunda confundit; nam necesse est mihi dei, hoc nihil

pro particulari poenitentia facere, atque adeo pro confessione et remissione omnium peccatorum, cum de prima sit mentio, quia nemo, inquam, negavit omnia omnino peccata deleri. ALBASP.

(31) *Ergo poenitentiae vita est*. Ait Dominus, *Poenitentiam malo quam mortem*; opponens poenitentiam morti. Quid autem verius opponitur morti quam vita? Ergo opposita morti poenitentia vita est. RIG.

(32) *Imo me minor*. Quidquid ante lavacrum commeruerant catechumeni aut fecerant, id omne naturae magis impetu quam voluntate fecisse existimabantur, ut Auctor *de Pudic.*, D. Cypr., aut quisquis libellum *de Pedum Ablutione* nobis dedit, Hermes et Justinus affirmant: quamobrem ait catechumenum minus se peccasse. ALBASP.

(33) *Alicujus tabulae*. Quando aiunt Patres poenitentiam esse secundam post naufragium tabulam, de secunda et post baptismum poenitentia id accipiendum, non de prima, quae non erat secunda, sed prima tabula. ALB.

— *Alicujus tabulae*. Optime monuit Albaspineus secundam tabulam dici tantum de poenitentia secundo seu post baptismum suscepta. Prima quippe poenitentia qua fideles accedebant ad baptismum suscipiendum navis dicebatur, qua scilicet fracta, secunda poenitentia ceu tabula in naufragio restabat. LE PR.

(34) *Prolevabit*. Sic legitur in antiquis exemplaribus RIG.

## CAPUT V.

Hoc enim dico, pœnitentiam quæ per Dei gratiam ostensa et indicta nobis, in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam nunquam post hoc iteratione delicti resignari<sup>30</sup> oportere. Jam quidem nullum ignorantie prætextum (35) tibi patrocinator, quod Domino agnito præceptisque ejus admissis, denique pœnitentia delictorum functus, rursus te in delicta restituis<sup>31</sup> (36). Ita in quantum **1235** ignorantia segregaris, in tantum contumaciæ agglutinaris. Nam si idcirco te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperao timere, cur quod metus gratia gessisti rescindere maluisti, nisi quia metuere desisti? Neque enim timorem alia res, quam contumacia subvertit. Cum etiam ignorantes Dominum (37) nulla exceptio tueatur<sup>32</sup> ad pœnam; quia Deum in aperto constitutum, et vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem, ignorari non licet: quanto<sup>33</sup> cognitum despici periculosum est! Despiciit porro, qui honorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, resumens, intellectui suo, id est Dei dono, contumeliam facit: respuit datorem cum datum deserit, negat<sup>34</sup> beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cujus manus sibi displicet? Ita in Dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet. Cæterum non leviter in Dominum peccat, qui, cum æmulo ejus diabolo pœnitentia renuntiasset, et hoc nomine illam Domino subjeisset, rursus eundem regressu suo erigit, et

A exultationem ejus seipsum facit, ut denuo malus, recuperata præda sua, adversus Dominum gaudeat. Nonne quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum<sup>35</sup> est, diabolus Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, et judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse mauerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo **1236** per aliam pœnitentiæ pœnitentiam (38) satisfaciet<sup>36</sup>: eritque tanto magis perosus Deo, quanto æmulo ejus acceptus. Sed aiunt quidam (39) satis Deum habere, et corde et animo suspiciatur, licet actu minus fiat. Itaque se salvo metu et fide peccare: hoc est, salva castitate matrimonia violare, salva pietate parenti venenum temperare. Sic ergo et ipsi salva venia in gehennam detrudentur, dum salvo metu peccant. Primum exemplum perversitatis, quia timent, delinquant: opinor non delinquerent, si non timerent. Igitur, qui Deum nolit offensum, nec revereatur omnino, si timor offendendi patrocinium est. Sed ista ingenia de semine hypocritarum pullulare consuerunt, quorum<sup>37</sup> individua cum diabolo amicitia est (40), quorum pœnitentia nunquam fidelis.

## CAPUT VI.

Quidquid ergo mediocritas nostra (41) ad pœnitentiam semel capessendam et perpetuo continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat, ut omnis<sup>38</sup> salutis in promerendo Deo petitores, sed præcipue novitiolis istis (42)

## Variæ lectiones.

<sup>30</sup> Resignare Venet. <sup>31</sup> Ita... Leop. Restitues Seml. Fran. Paris. Rig. <sup>32</sup> A pœna Fran. Paris. Rig.; ad pœnam Seml. <sup>33</sup> Quanto magis Junius. <sup>34</sup> Beneficium Jun. <sup>35</sup> Præferendum Seml. <sup>36</sup> Satisfaciat Seml. <sup>37</sup> Invidia Fran. Paris. <sup>38</sup> Omnes Paris. Jun.

## Commentarius.

(35) *Ignorantiæ prætextum*. Gentiles sive audientes hac una ratione peccatis suis ignosci volebant, quod quid optimum esset factu ignorassent: qua excusatione iis non liceret uti qui Christi mandatis imbuti essent, unde etiam constabit totum hoc caput ad audientes et catechumenos pertinere. ALBASP.

(36) *Rursus te in delicta restituis*. Stultissimus qui pugnans adversus propria commoda, et in deteriorem statum restitui postulas. RIG.

(37) *Cum etiam ignorantes Dominum*. Facit locus ille contra novos istos evangelicos qui ab apostolorum tempore majores nostros in ignorantia perpetua vixisse dicunt, et tamen a culpa excusatos. Imprimis autem pro Auctoris sententia faciunt frequentissima illa sacrificia immolari jussa pro peccatis ignorantie, Levit. iv et v, et Num. xv, de quibus et Hebr. ix. Deinde et in Novo Test. Act. II, B Petrus ad illos quos sciebat per ignorantiam peccasse, *Pœnitentini, inquit, et convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Hinc Patrum omnium conformis est sententia quod ignorantia, quam crassam moderni theologi vocant, neminem a culpa excuset, qualis illa haud dubie fuisset, si verum illi dicerent. PAM.

(38) *Per aliam pœnitentiæ pœnitentiam*. Plinius, epist. 10 lib. VII: « Superest ne rursus provincie quod damnasse dicitur, placeat agatque pœniten-

tiam pœnitentiæ suæ. » RIG.

(39) *Sed aiunt quidam*. Adnotatu dignus etiam iste locus adversus novam quorundam hæresim (a qua nec Calvinistæ abhorreat), qui sibi sufficere arbitrantur, si corde et animo suam religionem retineant, quamvis Catholicorum contrarie sibi religioni exercitiis ac mysteriis se immisceant, imo et communicent. PAM.

(40) *Quorum individua cum diabolo amicitia est*. Rectissima scriptura, nec debuit sollicitari. Est enim sermo de genere hypocritarum, quorum pœnitentia nunquam fidelis, quorum scilicet individua cum diabolo amicitia est; adeoque semper ad ejus castra revertuntur. RIG.

(41) *Quidquid ergo mediocritas nostra, etc.* Docere videtur Tertullianus hoc loco catechumenos quos tirones vocat pœnitentiam usque ad baptismum aliquando protraxisse; cum enim probe intelligerent omnia peccata baptismo deleri, pœnitentiæ suscipiendæ tempus producebant quantum in se erat, adeoque non includebant pœnitentiam, hoc est non peragebant. Qua in interpretatione a Rigaltio tantisper discedo, etenim includere est  $\pi\lambda\eta\rho\omega\sigma\alpha\iota$ ,  $\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota\omega\sigma\alpha\iota$ . LE PR.

(42) *Novitiolis istis*. Novitiolos istos post paulo dicit audientes, et auditorum tirocinia. RIG.

— *Novitiolis istis*. Notetur catechumenos ita dictos, unde fortasse sumpta vox monasticæ disci-

imminet. Qui cum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiae adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant; et dicunt quidem <sup>33</sup> pristinis renuntiare (43), et poenitentiam assumunt (44), sed includere eam negligunt (45). Interpellat enim illos ad desiderandum ex pristinis **1237** aliquid, ipse finis desiderandi: velut poma cum jam in acorem vel amaritudinem senescere incipiunt, ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratiae suae adulantur. Omne praeterea cunctationis et tervigersationis erga poenitentiam vitium praesumptio intinctionis (46) importat. Certi enim indubitatae veniae delictorum, medium tempus interim furantur, et com meatum sibi faciunt (47) delinquendi, quam eruditionem non delinquendi. Quam porro ineptum, quam iniquum, poenitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere, hoc est, pretium non exhibere <sup>40</sup>, ad (48) mercedem manum emittere! Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac poenitentiae compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui ven-

A ditant, prius nummum, quo paciscuntur, examinant, ne scalptus, neve rasmus, ne adulter (49) etiam: Dominum credimus poenitentiae probationem prius inire, tantam nobis mercedem <sup>41</sup> perennis scilicet vitae concessurum? Sed differamus tantisper poenitentiae veritatem. Tunc opinor, emendatos <sup>42</sup> liquebit, cum absolvimur? Nullo pacto. Sed cum pendente venia, poena prospicitur, cum adhuc liberari **1238** non meremur ut possimus mereri (50), cum Deus comminatur, non cum ignoscit. Quis enim servus, postquam libertate mutatus est (51), furta sua et fugas sibi imputat? Quis miles postquam castris suis emissus, pro notis suis satagit (52)? Peccator ante veniam deflere se debet; quia tempus poenitentiae, id <sup>43</sup> est, quod periculi et timoris. Neque ergo renuo

B

divinum beneficium, id est, abolitionem delictorum inituris aquam omnimodo salvum esse: sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est. Quis enim tibi tam infidae poenitentiae viro <sup>44</sup> asperginem unam cujuslibet aquae commodabit (35)? furto quidem aggredi, ei praepositum <sup>45</sup> hujus rei asse-

#### Variae lectiones.

<sup>39</sup> Ita edd. omnes, except. Leop. qui scribit: se renuntiare. <sup>40</sup> Mercedem Rig. <sup>41</sup> Mercedem Latin. <sup>42</sup> Licebit Rhen. <sup>43</sup> Idem Fran. Rig. <sup>44</sup> Asparginem Jun. ex M. S. <sup>45</sup> Propositum Seml. Praepositum Wouw. M. S. Rig. melius.

#### Commentarius.

plinæ quæ hodie retinetur, ita ut novitii religionum sint veluti audientes et catechumeni. LAC.

(43) *Pristinis renuntiare.* Hoc est idololatriæ et negotiis vitæ sæcularis. RIG.

(44) *Et poenitentiam assumunt.* Assumere poenitentiam dicuntur, qui inter audientes nomina profitentur sua. RIG.

— *Poenitentiam assumunt.* Notetur in primis poenitentiam assumere esse propriam locutionem eorum qui invadebant poenitentiam, cujus ipse primus aditus dicebatur assumptio. Et quidem hanc esse propriam locutionem invadentium poenitentiam notavit Heraldus, lib. I, c. 4, digress., sed nulla re probavit. LAC.

(45) *Sed includere eam negligunt.* Baptismo scilicet, qui et obsignatio dicitur. Et ipse mox dicet, « intinctionis seram obstructam. » Poenitentia igitur et fides tunc includitur, cum in baptismum deducitur; sicut actiones iudicio inclusas dixit Caius, quæ sunt in iudicium deductæ, l. cxxxix de reg. ju. Porro poenitentiam includere negligunt, qui pristinis ægre renuntiant; quasi maleficiorum summa, quam includi baptismo volunt, nondum confecta. RIG.

(46) *Praesumptio intinctionis.* Fiducia veniæ per baptismum impetrandæ. RIG.

(47) *Commeatum sibi faciunt.* Docebantur audientes non solum quam grave et periculosum esset peccare, Deumque iratum habere sed etiam omnia retro delicta baptismo condonari, unde ait Tertullianus quibusdam peccandi audaciam et securitatem ejusmodi præceptis fieri. ALBASP.

(48) *Hoc est pretium non exhibere.* Id cautum fuerat lege 12 tab. ne venditoris res emptori aliter acquireretur, quam si is pretium solvisset, § venditor Inst. de rerum divisione et ex jure Attico petitum: id enim *Græcam fidem* vocat Plautus, in *Asinaria*; Ausonius, in *Epistolis*, *Græca non bona fide*. Turneb. *advers.* lib. XII, cap. 18. ALBASP.

(49) *Ne sculptus ne rasmus, ne adulter.* Lege Cor-

nelia de falsis, punitur qui nummos aureos partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit, l. VIII ad l. Corn. de fal.; ubi Basilicorum auctores legisse videntur, *cinxerit*, non *tinxerit*. Etenim dixere, Οὐ τὰ νομισματα ξέοντες ἢ περικόπτοντες. RIG.

C (50) *Cum adhuc liberari non meremur ut possimus mereri.* Sic ista uno spiritu, absque ulla distinctione sunt perducenda. Disputat Tertullianus de poenitentium processu. Et quando nos, inquit, poenitentiam qui assumpsimus, pro emendatis habebimur? An cum absolvimur, lavacro impetrato, aqua concessa? Minime, inquit; sed cum pendente venia prospicimus poenas anteactæ vitæ piaculi, constitutas, cum adhuc liberari non dicam non meremur; nam quis merita sua coram Deo reputare ausit unquam? sed cum adhuc non meremur ut possimus, divina misericordia sic largiente de suo, mereri. RIG.

(51) *Servus libertate mutatus* Sacramentum libertatis, vertigo, mutationis signum. Hinc illa,

Quibus una Quiritem.  
Virtigo facit.

Et,

Momento turbinis exit.  
Marcus Dama.

D Et qui de ethnicis fiunt Christiani, dicuntur conversi ad Deum scilicet verum, cui soli servire vera est libertas. RIG.

(52) *Pro notis suis satagit.* Notas militares dicit, quibus miles denotatur, ob delicta militaria, puta si fuerit, emansor, desertor, seditiosus, etc. Eadem metaphora de seipso dicit, peccatorem omnium notarum, sub finem hujus operis. RIG.

(53) *Quis enim tibi tam infidæ poenitentiae viro asperginem unam cujuslibet aquae commodaret?* Qualis illa fuit Isiacorum, quam apertius describit lib. de *Baptis.*: « Villas, domos, templa, totasque urbes aspergine circumlatæ aquae expiant. » RIG.

— *Asperginem unam cujuslibet aquae.* Aquæ



verationibus tuis circumduci facile est (54). Sed Deus thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignos. Quid denique ait? *Nihil occultum, quod non revelabitur* (Luc. viii, 17). Quasquaque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est. Quidam autem sic opinantur, quasi Deus necesse habeat præstare etiam indignis quod spondit: et liberalitatem ejus faciunt servitutem. Quod si necessitate nobis <sup>46</sup>, symbolum mortis indulget (55), **1239** ergo invitus facit: quis enim <sup>47</sup> permittit permansurum id, quod tribuerit invitus? Non enim multi postea excidunt? non a multis donum illud auferitur? Hi sunt scilicet, qui obrepunt, qui poenitentiae fidem aggressi (56), super arenas domum ruituram collocant. Nemo ergo sibi aduleatur, quia inter auditorum tirocinia (57) deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat Dominum simul cognoveris, timeas: simul inspexeris, reverearis. Cæterum quid te cognovisse interest, cum iisdem incubas, quibus retro ignarus? Quid autem te a perfecto servo (58) Dei <sup>48</sup> separat? An alius est intinctus Christus, alius audientibus? Num spes alia, vel merces alia formido iudicii, alia necessitas poenitentiae? Lavacrum illud obsignatio est fidei: quæ fides a poenitentiae (59) fide incipitur et commendatur. Non ideo abluimur, ut delinquere desinamus, quoniam jam corde loti sumus. Hæc enim prima audientis intinctio (60) est metus

A integer; exinde <sup>49</sup> quoad Dominum senseris (61), fides sana, conscientia semel poenitentiam amplexata. Cæterum, si ab aquis peccare desistimus, necessitate, non sponte (62) innocentiam induimus. Quis ergo in bonitate præcellens? cui non licet, aut <sup>50</sup> cui displicet malo esse? qui jubetur, an qui delectatur a crimine vacare? Ergo nec a furto manus avertamus, nisi claustrorum duritia repugnet: nec oculos a stupri concupiscentiis refrænemus, nisi a custodibus corporum obstructi, si nemo Domino deditus delinquere desinet, nisi intinctione alligatus. Quod si qui ita senserit, nescio an intinctus magis contristetur, quod peccare desierit, quam lætetur, quod evaserit. Itaque audientes **1240** optare intinctionem, non præsumere oportet. Qui enim optat, honorat: qui præsumit, superbit. In illo verecundia, in isto petulantia apparet. Ille satagit, hic negligit. Ille mereri cupit, at hic, ut debitum, sibi repromittit: ille sumit, hic invadit. Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorem, et idcirco vera poenitentia functum? Timuit enim adhuc delinquere, ne non mereretur accipere. At ille præsumptor, cum sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit: sic nec poenitentiam implevit, quia instrumento poenitentiae, id est metu, caruit. Præsumptio inverecundiæ portio est, instat petiorem, despicit datorem. Itaque decipit nonnun-

#### Variae lectiones.

<sup>46</sup> A. Neander hæc W. transponenda esse censet, ita ut scribatur: Quod si necessitate, ergo invitus facit; symbolum mortis indulget. Sed tollitur loci difficultas appposito post *facit* interrogandi signo. <sup>47</sup> Promittit Jun. <sup>48</sup> Dei verbo Jun. ex M. SS. <sup>49</sup> Quo ad Rigalt. <sup>50</sup> An Fran. Rig.

#### Commentarius.

communis profanæ. Tam infidæ, inquit, poenitentiae virum nemo aquæ communis, non dicam cyatho, sed ne gutta quidem una dignabitur, tantum abest ut velit ad baptismum deducere. Splendide nugantur qui hæc verba de baptismo per aspersionem accipiunt; nam ubicunque de baptismo sermonem facit, *Lavacrum* dicit, et *Tingere*, et *Intingere*, et *Ablui*, et *Mergitari*, et *Immersionem*, quæ sane aspersionem minime significant. Non est, propterea tamen culpanda Ecclesiæ benignitas quæ postmodum invaluisse videtur ut cogente necessitate saltem aquæ aspergine Christiani perficerentur. Etenim Cyprianus epist. ad Magnum secunda ex sacris Litteris probat, aquam aspersionis purificationem esse, nec moveri quemquam debere quod aspergi vel perfundi videntur ægri, non baptizari. RIG.

(54) *Præpositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci facile est.* Presbyterum significat lavacro ministrando præpositum, quem lib. de *Baptismo*, angelum vocat baptismi arbitrum. RIG.

(55) *Symbolum mortis indulget.* Syngrapham mortis donat, id est peccatum. Etenim obligationes etiam ex delictis et maleficiis nascuntur. Paulus ad Coloss. ii dixit, chirographum. Ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν. Ipse Tertullianus lib. de *Pudic*: « Nam et solvit liberans hominem per lavacrum, donato ei chirographo mortis. » RIG.

(56) *Qui poenitentiae fidem aggressi.* Id est, qui incipiunt credere poenitendum esse, et tamen eos non vere poenitet; nihil enim prius catechumeni sive tirones docebantur, quam ut prioris vitæ poenitentiam agerent. ALBASP.

C (57) *Inter auditorum tirocinia.* Catechumenos non intelligit, ut opinior; nam proprie catechumeni illi vocabantur, qui probe edocti et eruditi de lege Christi orarent et jus haberent ad baptismum (quamvis non ignorem tirones, audientes, et catechumenos uno eodemque nonnunquam nomine appellari), quinque primam poenitentiam pene finierant; sed tirones et novitiolos qui Christianæ legis prima elementa docebantur. ALBASP.

(58) *A perfecto Dei servo.* Initiabantur adsumpta poenitentia; perficiebantur baptismo, unctione, Eucharistia. RIG.

(59) *Quæ fides a poenitentiae.* Non accedebant ad baptismum, nisi de rebus fidei plane instructi, id est de Dei magnitudine et potestate, rebusque qui in Evangeliiis continentur, uno excepto Eucharistiæ mysterio, neque baptizantur nisi postquam ea omnia se credere jurassent, quorum fides a poenitentia incipiebat, quia scilicet non censendi erant Deo credere eumque magnificere et timere, nisi eum dignum existimarent, cui de pristinis satisfacerent, et poenitentia diluerent, quæ in eum ejusque legem olim pecassent. ALBASP.

(60) *Prima audientis intinctio*, etc. Quo tenetur tota vita sua Christianus qui integre sapit ad Deum, mente ad idololatriam, ad stuprum, ad homicidium irretorta. RIG.

(61) *Exinde quoad Dominum senseris.* Domino deditus, infra. RIG.

(62) *Necessitate non sponte.* Jurabant, in baptismo solemnibus verbis se nunquam peccaturos, deinde renuntiabant diabolo et pompis ejus; denique censura, si peccarent post baptismum coercerentur, quapropter ait, *necessitate.* ALBASP.

quam. Ante enim quam debeatur repromittit, quo A accenditur, dum exstinguitur. Doleat et ingemiscat semper is quis est præstaturus, offenditur. necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro suæ erasos. Dolet quod ipsum et angelos ejus, Christi servus illi peccator judicaturus est.

## CAPUT VII.

Hucusque, Christe Domine, de pœnitentiæ disciplina servis tuis dicere <sup>51</sup> vel audire contingat, quousque etiam delinquere non oportet audientibus : vel nihil jam de pœnitentia noverint, nihil ejus requirant. Piget fecundæ, imo jam ultimæ spei subtexere montionem, ne retractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Absit, ut aliquis ita interpretetur, (quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum ; et redundantia clementiæ cœlestis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo ideirco deterior sit, quia Deus melior est, totiens delinquendo quotiens ignoscitur (63). Cæterum finem utique evadendi habebit, cum offendendi non habebit. Evasimus semel ; hactenus **1241** periculosus nosmetipsos inferamus (64), et si iterum evasuri videmur. Plerique naufragio liberati exinde repudium et navi et mari dicunt (65), et Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam ; nolunt iterum divinæ misericordiæ oneri esse ; formidant videri inculcare, quod consecuti sunt : bona certe sollicitudine iterum experiri vitant quod semel didicerunt timere. Ita modus temeritatis testatio est timoris. Timor autem hominis Dei honor est. Sed enim pervicacissimus hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit. Atquin tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum <sup>52</sup> ; tunc plurimum B amplius nunquam (68), quia proxime frustra. Non enim et hoc semel satis est ? Habes, quod jam <sup>54</sup> non merebaris ; amisisti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat, unde restituas quod amiseras, herato beneficio gratus esto, nedum ampliato : majus est enim restituere, quam dare : quoniam miserius est perdidisse, quam (69) omnino non accepisse. Verum non statim succidendus ac subruendus **1242** est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit : pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat : pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat ; iteratæ valetudinis iteranda medicina est : gratus in Dominum <sup>55</sup> exstiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris : offendisti, sed reconciliari adhuc C potes. Habes cui satisfacias, et quidem volentem.

## Variæ lectiones.

<sup>51</sup> Discere *Wouw. M. S. Rig.* <sup>52</sup> Baptismo scilicet. <sup>53</sup> Conditionibus alii. *Pamel. in trib. codd.* <sup>54</sup> Non abest *Rig.* <sup>55</sup> Domino *Seml.*

## Commentarius.

(63) *Totiens delinquendo quotiens ignoscitur.* Quis ex his non existimaret Ecclesiæ fores pœnitentibus semper patuisse, cum dicat Christum toties parcere, quoties delinquitur ? Pamelius quoque ex his non dubitat affirmare Ecclesiam peccatoribus veniam semper indulsisse, et quid apud auctores inter legendum de secunda et ultima pœnitentia occurrat, id omne de publica accipiendum esse, atque ad confirmandum multa ex auctoribus accumulat, quæ nihil referret explicare, cum quæ istie ait Tertullianus cujusmodi aut quomodo accipienda sint nostri duntaxat sit instituti edocere. Hæc igitur *quotiens ignoscitur* ita intelligas quasi post secundam pœnitentiam alius esset pœnitendi locus, sed nihil aliud voluit dicere, quam tametsi aliqua post baptismum spes veniæ supersit, et secunda atque ultima concedatur pœnitentia, tamen rursus peccandum non esse post baptismum ; nam sexcentis locis non dicam hoc capite, unam tantum ait a lavacro veniam superesse, neque ullum primis illis temporibus inter privatam aut publicam graviorum criminum discrimen occurret. Itaque illa totiens et quotiens dicuntur, recte de duabus veniis, ut ita dicam, et totidem peccatis, de iis scilicet, quæ ante sive post baptismum remittebantur. Cæterum Ecclesiæ universæ hanc fuisse sententiam vel hanc consuetudinem in omnibus omnino Ecclesiis, observatam fuisse, non

ausim affirmare. ALBASP.

(64) *Hactenus periculosus nosmetipsos inferamus.* Hactenus, id est, nunquam posthac. *RIG.*

(65) *Repudium et navi et mari dicunt.* Nam, inquit Rhenanus, ut est apud Publium Mimographum, improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit. Venustus vero sermo, cum, inquit, repudium et navi et mari dicunt, translatione sumpta ab his qui uxori libellum repudii mittunt. Similiter lib. *de Hab. mul.* cap. 4, *repudium cœli* dixit. PAM.

(66) *Perversis traditionibus.* Mss. tres *conditionib.* D Illud tamen magis placet, ut agat contra Montanistas, qui perversis traditionibus suis de nulla post baptismum pœnitentia a via certa fideles detorquebant. Eo autem quod addit, perversis, patet non omnes ab Auctore traditiones impugnari ; verum de his latius lib. *de Cor. mil.* ubi multas Ecclesiæ traditiones probat. PAM.

(67) *Collocavit in vestibulo.* Consuetudo et ritus erat ut pœnitentes in vestibulo ecclesiæ manerent, ad quem respicit. ALBASP.

(68) *Sed amplius nunquam.* Ergo una tantum erat post baptismum pœnitentia. ALBASP.

(69) *Miserius est perdidisse quam, etc.* Miserius est multo salutem quam accepisti baptismo perdere peccando, quam omnino eam non accepisse. ALBASP.

## CAPUT VIII.

Id si dubitas, evolve quæ Spiritus Ecclesiis dicat (Apoc. I, II, III). Desertam dilectionem Ephesiis imputat, stuprum et idolothytorum esum Thyatirenensis exprobrat. Sardos<sup>56</sup> non plenorum operum incusat, Pergamēnos docentes perversa reprehendit; Laodiceos fidentes divitiis objurgat: et tamen omnes ad poenitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non poenitenti, si non ignosceret poenitenti. Dubium, si non et alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset. Non, ait (Jerem. VIII, 4; Osee, VI, 6), qui ceciderit, resurget, et qui aversatus fuerit convertetur? Ille est scilicet, ille est qui misericordiam mavult quam sacrificia<sup>57</sup>. Lætantur cæli, et qui illic angeli, poenitentia hominis (Matth. IX, 13). Heus tu, peccator, bono animo sis, vides ubi de tuo reditu<sup>58</sup> gaudeatur. Quid illa similitudinum Dominicarum argumenta nobis volunt? Quod mulier drachmam perdidit et requirit, et reperit, et amicas ad gaudium invitat, nonne restituti peccatoris exemplum est? Errat et una pastoris<sup>59</sup> ovicula, sed grex una carior non erat: una illa conquiritur, una pro omnibus desideratur, et tandem invenitur, et humeris pastoris ipsius refertur: multum enim errando laboraverat. Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, et post inopiam poenitentem<sup>60</sup> libens suscipit, immolat vitulum præopimum, convivio gaudium suum exornat. Quidni? **1243** filium enim invenerat, quem amiserat; cariorem senserat, quem lucri fecerat. Quis ille nobis intelligendus pater? Deus scilicet; **C** tam pator nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium

A suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti, magisque de regressu tuo, quam de alterius sobrietate lætabitur, sed si poeniteat<sup>60</sup> ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquant pecus, si patrem repetas vel offensum, *Deliqui*, dicens, *pater, nec dignus ego jam vocari tuus*. Tantum relevat (70) confessio delictorum<sup>61</sup>, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ.

## CAPUT IX.

Hujus igitur poenientiæ secundæ et unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio<sup>62</sup>, ut non sola conscientia<sup>63</sup> proferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur et frequentatur, Exomologesis est (71), qua delictum Domino nostrum confitemur: non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur. Itaque Exomologesis prosternendi et humiliandi hominis disciplina est, conversationem **1244** injungens<sup>64</sup> misericordiæ illicem; de ipso quoque habitu atque<sup>65</sup> victu mandat, sacco et cineri incubare (72), corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa qua peccavit tristi tractatione mutare; cæterum pastum et potum pura nosse (73), non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque vero jejunii preces alere, ingemiscere, lacrymari, et **C** murgire dies noctesque ad Dominum Deum tuum<sup>66</sup>, presbyteris advolvi (74), et charis<sup>67</sup> Dei adgenicu-

## Variæ lectiones.

<sup>56</sup> Sardos Paris. Fran. <sup>57</sup> Sacrificium Fran. <sup>58</sup> Reditu aberat a Rhen. <sup>59</sup> Pastori Rigall. <sup>60</sup> Poenitentia Seml. poenitentiam Fran. Paris. Rigall. <sup>60</sup> Te add. Jun. <sup>61</sup> Delictum Paris. <sup>61</sup> Est addit Paris. Fran. Rigall. <sup>63</sup> Præferatur Fran. Paris. Rigall. Perferatur P. Ciaconius. <sup>66</sup> Inungens cod. Divion. <sup>65</sup> Sic et Junius legit; alii addunt, victu mandat; quod a Rhen. abest. Vox mandat deest in edition. Rhen., sed ab eo postea addita in cod. Gorz. <sup>66</sup> Suum Rig. <sup>67</sup> Aris Seml.

## Commentarius.

(70) *Tantum relevat*. De confessione publica ac particulari hæc accipienda non sunt, sed de confessione qua peccator seipsum Deo accusat. ALB.

(71) *Exomologesis est*. Dum pluribus dicamus quid sit Exomologesis, pluribusque probemus, satis tum erit dicere per eam confessionem auricularem non intelligi, sed actus quibus poenitentes cæteris poenientiæ suæ fidem facerent. ALBASP.

(72) *Sacco et cineri incubare*. Concilicium et concineratum, ut ipse dicit lib. de Pudic. « In asperitudine sacci et horrore cineris, » ut hic paulo post saccum sic describit Paulinus ad Pneumatium:

Si modo lugentem gravis hirtio tegmine saccus  
Caprigeum setis dum tegat et stimulet. RIG.

(73) *Pastum et potum pura nosse*. Alibi dixit, *mero pane et aqua*, id est, puro, sive solo, absque ullis aliis esculentis, absque condimentis. Sic ad Scapulam, « Sacrificamus pura prece, » hoc est, absque odoribus, absque sanguine, absque thure, absque victima, hoc est pane et aqua. Eodem significato ἄρον καθαρόν dixit Alexis poeta comicus in *Tarentinis*, ubi jocatur versibus elegantissimis in diætam Pythagoreorum:

PATROL. I.

Ἡθάγορ, ὄμοι, καὶ λόγοι  
λεπτοὶ, διωμιλεῖσθαι τε φροντίδες  
τρέφουσ' ἐκείνους· τὰ δὲ καθ' ἡμέραν τάδε,  
ἄρον καθαρόν, εἰς ἑκατέρω, ποτήριον  
ἕδατος, τοσαῦτα ταῦτα.

De frugalitate Pythagoreorum notum est illud Juvenalis:

**D** Unde epulum possis centum dare Pythagoreis. RIG.

(74) *Presbyteris advolvi*. En quomodo ante sacerdotes volverentur, ut peccata sua confiterentur, et eorum veniam obtinerent, aiunt interpretes, cum Baronio, Bellarmino, Maldonato in controversiis. Ego etsi hunc ritum antiquissimum esse fatear, ex his tamen probari nequit; nam cum pro foribus templi starent poenitentes, prætereuntibus sacerdotibus cæterisque fidelibus, omnibus omnino dolentis animi signis poenitentiam suam testabantur, lacrymis non parcebant, precibus insistebant, vollebantur, et si quæ alia habet poenitentia, quæ misericordiam movere possint, non omittebant, ut pacem recuperarent: quem ritum describit auctor, cum ait *presbyteris advolvi*, quare nihil hæc ad confess. auricularem. ALBASP.

lari (75) omnibus fratribus legationes deprecationis A suæ injungere. Hæc omnia Exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictatione <sup>68</sup> æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem (76), magis relevat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.

## CAPUT X.

Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui (77), aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo; pudoris magis memores quam salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis B contracta vexatione, conscientiam medentium vitant 1245 et ita cum erubescencia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti productæ (78) reformari. Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero subducens. Ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus acquirō, cum <sup>69</sup> ipse hominem quodammodo exhortatur, Ne me respexeris, dicens, per te mihi melius est perire. Certe periculum ejus tunc, si

forte, onerosum est, cum penes insultaturos in risiloquio consistit, ubi de alterius ruina alter attollitur, ulli prostrato superscenditur. Cæterum inter fratres atque conservos, ubi communis <sup>70</sup> spes, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis spiritus de communi Domino et Patre), quid tu hos <sup>71</sup> aliud quam te opinaris (79)? Quid consortes casuum tuorum (80), ut plausores, fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere: condoleat universum, et ad remedium conlaboret, necesse est. In uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æque illi cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod filius postulat. Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subdixerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi (81)? Miserum est sic ad Exomologesin pervenire (82). Malo enim ad miseriam <sup>72</sup> pervenitur, 1246 sed ubi pœnitendum est <sup>73</sup> deserit miserum: quia factum est salutare. Miserum est secari et cauterio exuri, et pulveris alicujus mordacitate <sup>74</sup> cruciari: tamen quæ per insuavitatem

## Variæ lectiones.

<sup>68</sup> alii affliction. Est autem parum proba hæc sententia. <sup>69</sup> Quin Latin. et Jun. <sup>70</sup> Species Fran. Paris. <sup>71</sup> Tuos Seml. Leop. tu hos Rig. ex cod. Div. <sup>72</sup> Ad miseriam Fran. Paris. Rigalt. amans si perv. Seml. adventum est volebat Rhen. minus bene. <sup>73</sup> Desinit Fran. <sup>74</sup> Cruciari Fran. Rig. auxiliari Seml.

## Commentarius.

(75) *Et charis Dei adgeniculari.* Putarim ego per C charos Dei intelligendos esse martyres, quos pœnitentes rogare solebant, ut se Ecclesiæ redderent, et nonnihil de pœnitentia indulgerent. Unde Tertull. noster Protrep. ad Mart.: « Quam quidam [pacem nimirum] non habentes a martyribus petere consueverunt. » Ea ratione faciliores habebant presbyteros cæterosque Christianos. Quæ affert La Cerda ut probet per charos Dei intelligi presbyteros nihil ad rem facere videntur; loca quippe illa tum ex Eusebio, tum ex Greg. Nazianzeno aliisque, referenda sunt ad has voces, *presbyteris advolvi.* LE PR.

(76) *Provolvitur hominem.* Etenim pœnitentes volutabantur ad genua fratrum. RIG.

(77) *Ut publicationem sui.* Quia scilicet post baptismum per publicam semper pœnitentiam, in graviora delicta animadvertent, eaque ob hanc causam palam nonnunquam exponerentur. Cæterum non assentior interpretibus, neque card. Baronio an. Chr. 56, qui hæc de auriculari confessione, non de publico pœnitentiæ actu intelligi volunt; toto enim hoc capite de publica confessione peccatorum et de publica pœnitentia agitur. ALBASP.

(78) *Saluti productæ.* Prodigia peccandi protervia perditissimæ. RIG.

(79) *Quid tu hos aliud quam te opinaris.* Sic legitur in codice Divionensi. Et esse verdissimum puto. RIG.

(80) *Quid consortes casuum tuorum.* Hunc locum sic expressit B. Pacianus: « Consortes casuum vestrorum timere nolite. » Nullum corpus membro-

rum suorum vexatione lætatur; imò pariter dolet, et ad remedium collaborat. In uno et altero Ecclesia est, in ecclesia vero Christus; atque adeo qui fratribus peccata sua non tacet, Ecclesiæ lacrymis adjutus, Christi precibus absolvitur. PAM.

(81) *Quam palam absolvi.* Palam quidem et frequente ecclesia absolvebantur, verum satis mihi non constat hæc de sacramentali absolute accipienda esse; quin potius conjicerem, de ultima exomologesi, quæ permolesta et plena pudoris videbatur, illud *palam absolvi* dictum esse; nam quid posset inesse pudoris aut verecundiæ in illa absolute; at vero in ultima exomologesi multa occurrebant quæ sine pudore non poterant ferri. Primum e limine in mediam ecclesiam adducebantur ab episcopo, istic ad ejus pedes prostrati veniam peccatorum suorum deprecabantur, precibus et lacrymis totius fraternitatis gratiam et misericordiam sollicitabant, tandem in eodem statu permanentes, id est humi jacentes, a peccatis liberabantur: hæc omnia multis ita permolesta videbantur, ut mallent in culpa remanere, quam hoc modo ab ea liberari, ALBASP.

(82) *Miserum est sic ad exomologesin pervenire.* Forma loquendi abhorrentium aliquid, miserum est! Sic Horatius, « Deprehendi miserum est. » Hic igitur aliquis abhorrens austeriorem pœnitendi formam, ait, « Miserum est sic ad exomologesin pervenire! » Huic respondet Tertullianus: « Malo enim ad miseriam pervenitur, » etc., hoc est peccato. Et mala sunt quæ nos ad miseriam ducunt. RIG.

medentur, et emolumento curationis offensam sui excusant, et præsentem injuriam superventuræ utilitatis gratia commendant.

## CAPUT XI.

Quid si præter pudorem, quem potiore putant etiam incommoda corporis reformident, quod inlotos, quod sordulentos, quod extra lætitiã (83) oportet deversari, in asperitudine sacci, et horrore cineris, et oris de jejuniõ vanitate (84)? Num ergo in coccino (85) et Tyrio (86) pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum criminibus distinguendis, et pulverem dentibus elimandis (87), et bisulcum aliquid ferri vel æris unguibus repastinandis. Si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris, in labia aut genas urgeat. Præterea exquirito balneas lætiores hortulani maritimive secessus: adjucito ad sumptum; conquirito altitium enormem saginam; defecato senectutem vini. Cumque quis interrogetur, cuinam ea largiaris (88): Deliqui, dicit, in Deum, et periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo et maceror, et excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi. Sed enim illos, qui ambitu<sup>75</sup> obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ et corporis, neq̄ incommodis tantum, verum et contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non atria 1247 nocturnis et crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes, nullis conviviis, celebres, nullis comessionibus congreges, sed exsules a libertatis et lætitiæ felicitate. Idque totum propter unius anni volaticum gaudium (89). Nos, quod securium virgarumve petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitavimus? et castigationem victus atque

A cultus offenso Domino præstare cessabimus, quæ gentiles nemine omnino læso sibi irrogant? Hi sunt de quibus Scriptura commemorat: *Væ illis qui delicta sua velut procero fune nectunt* (90).

## CAPUT XII.

Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis exstinguit: et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, cum fumariola quædam ejus tales flammæ ictus suscitent, ut proximæ urbes aut jam nullæ exstent, aut idem sibi de die sperent. Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fetu: et quod nobis judicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum devorentur, nunquam tamen finiuntur. Quis hæc supplicia interim montium non judicii minantis exemplaria deputabit? Quis scintillas tales non magni alicujus et inestimabilis foci missilia quædam et exercitoria jacula (94) consentiet? Igitur cum scias adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, 1248 cur salutem tuam descriis? Cur cessas aggredi quod scias mederi tibi? Mutæ quidem animæ et irrationales, medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras ejus (92) de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo, si excæcaverit pullos, novit illos oculare (93) rursus de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi (94) institutam a Domino exomologesin sciens, præteribit illam (Dan. iv), quæ Babylonium regem in regna restituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesin operatus, unguium leoninum in modum

## Variæ lectiones.

<sup>75</sup> Ambitius Rig.

## Commentarius.

(83) *Extra lætitiã.* Non licebat pœnitentibus ullo delectationis genere, ne quidem brneis se oblectare. ALBASP.

(84) *Oris de jejuniõ vanitate.* Etenim jejuniõ natus oris et formæ vigor evanescit. Alludit ad illud Matthæi, vi, 16: Ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα αὐτῶν. *Vultu incedunt evanido.* RIG.

(85) *In coccino.* Per coccinum, inquit Rhen., intelligit vestem cocco infectam. Martialis:

Coccina formosæ donas et ianthina mæchæ.

Cocum vulgo granum vocant Latine reddentes τοῦ κόκκου Græcum vocabulum. PAM.

(86) *Et Tyrio.* Tyrium, inquit idem, appellat vestimentum ex purpura Tyria constans. Ovid.: «Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus. Qui etiam adnotat cedo hic accipi pro da PAM.

(87) *Et pulverem dentibus elimandis.* Aptissime verbo elimare usus est, nam limus vocatur illa scabrities, seu sordes illæ dentibus adhærentes. At præter pulverem, dentifricio utebantur veteres. Videsis Apuleium in apolog. LE PR.

(88) *Cuinam ea largiaris.* Sic emendavimus secuti vestigia scripturæ veteris: «Cur anima largiaris.» RIG.

(89) *Propter unius anni volaticum gaud.* Nam consulatus, inquit Rhen., erat magistratus annuus. Item aliæ quædam functiones annuæ. Et vero antiqua vox *volaticum* pro inconstanti, etiam Ciceroni usitata lib. II ad Att. et de Harusp. cap. 43, PAM.

(90) *Væ illis qui delicta sua,* etc. Nemo odoratus est locum, cum is sit Isaiæ v.: Οὐαὶ οἱ ἐπισπόμενοι τὰς ἀμαρτίας ὡς σχοινίῳ μακρῷ. Sed Tertullianus nunquam legebat Latinum textum qui habet, *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Cum Septuaginta habebant, *Væ illis qui delicta sua velut longo fune nectunt.* De fune contemptionis alia est ratio; lege lib. iv adv. Marcionem et lib. ad Judæos. LAC.

(9) *Exercitoria jacula.* Lusoria. RIG.

(92) *Ferrum et irrevocabiles moras ejus.* Hamatile spiculum significat, quod ubi penetravit in vulnus, revocari aut avelli nequit, nisi vulnus ipsum novo vulnere diducatur. RIG.

(93) *Oculare.* Id est oculos reddere. Hoc ipse usus est verbo *de Pud.* et in *Apolog.*: quod mihi pro argumento est hunc Tertulliani esse libellum ALBASP.

(94) *Restituendo sibi.* Restitutioni suæ. RIG.

efferatione, et capilli incuria horrorem aquilinum <sup>76</sup> A præferente. Proh male tractationis (95)! quem homines perhorrebant. Deus recipiebat (*Exod.* xiv). Contra autem Ægyptius imperator, qui populum Dei aliquando afflictum, diu Domino suo denegatum persecutus, in prælium irruit, post tot documenta plagarum, dissidio <sup>77</sup> maris, quod soli populo pervium licebat, revolutis fluctibus perit. Pœnitentiam enim et ministerium ejus exomologesin

(96) abjecerat. Quid <sup>78</sup> ergo ultra de istis duabus humanæ salutis quasi <sup>79</sup> planeis (97), styli potius negotium quam officium conscientiæ meæ curans <sup>80</sup>? peccator enim omnium notarum cum sim, nec ulli rei nisi pœnitentiæ natus, non facile possum super illa tacere, quam ipse quoque et stirpis humanæ et offensæ in Dominum princeps Adam exomologesi restitutus (98) in paradisum suum, non tacet.

Variæ lectiones.

<sup>76</sup> Aquilinum in morem quidam addunt. <sup>77</sup> Dissidio Rig. <sup>78</sup> Ego Fran. Paris. duobus Fran. <sup>79</sup> Pharis Pam. <sup>80</sup> Curem? Latin.

Commentarius.

(95) *Pro malæ tractationis* Suspicio Tertullianum scripsisse *maletractationis* dictione unica, cum dicat Turnebus lib. II, cap. 20, quæ mala tractatio a multis dicitur, eam ab Arnobio *maletractatio* dici voce unica lib. IV *adv. gentes*. Apparet autem Arnobium imitatum esse scripta Tertulliani. Apud rhetoras etiam *maletractatio* dicitur unica dictione. Lac.

(96) *Pœnitentiam et ministerium ejus exomol.* Peccatori ad pœnitentiam admissio ministrabatur exomologesis, qua rite peructa, si satis episcopo et

presbyteris et plebi factum fuisse videretur, Ecclesiæ reddebatur. Rig.

(97) *Duabus humanæ salutis quasi planeis.* Alii legunt, *phareis*, sed ab veteribus libris id habeant, an ab ingenio, non tradunt. Illud autem, *quasi planeis*, propius accedit ad hæc veteris scripturæ vestigia, *quasi plane*. Rig.

(98) *Adam exomologesi restitutus.* Hoc contra Tertianum hæreticum; cujus erat hæresis, Adam salutem consequi non potuisse; uti patet ex lib. *de Præscript. adv. hæres.* Pam.

## Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANI

### LIBER

## DE PATIENTIA.

### ARGUMENTUM.

Tractatus de patientia quem multi a Tertulliano adhucdum catholico circa a. cc conscriptum fuisse existimant, in quam imprimis abiire sententiam doctiss. Tillemontius. D. Cellarius, p. Dominicus Schramm, eximia est multa cum eloquentia adhortatio ad patientiam amplectendam pene dicam ad martyrium sustinendum, haud aliter ac si, cum hæc conscriberet Sepimius, jam-jam nova ingrueret procella, iterumque Christianorum calamitates forent refricandæ. Quidquid ea de re sit ratum habendum, qualisve tempore vel rerum tempestate fuerit hic libellus exaratus, in ea nulla non affertur causa, cur Christiani ad patientiam excitari queant et ab impatientia deterreri. Nempe cum in operis limine, quasi publice stratus, suam auctor imbecillitatem animique impotentiam propalaverit, patientiamque magnis laudibus summatim descripserit, singula perstringit motiva ad eam amplectendam proponenda scilicet: I. Patientiam Dei erga nos, cap. 2. II. Patientiam Christi, 3, 4. III. Natales impatientiæ ac ejus mala in ipso diabolo deprehensa, 5. IV. Fidem patientia probandam, 6. V. Temporalia exinde spreta, 5. VI. Injurias æqua mente latas, 8. VII. Dolorem e suorum amissione temperatum, 9. VIII. Vindictæ cupiditatem extinctam, 10. IX. Irrita jam inimici incitamenta, 11. X. Patientiam virtutum matrem, 13. XI. Viriumque fontem inexhaustum, 14. XII. Exempla patientiæ, demum mercedem et fructum, 14, 15. EDD.

#### 1249 CAPUT PRIMUM

Confiteor ad Dominum Deum, satis timere me,

si non etiam impudenter, de patientia componere ausum, cui præstandæ idoneus omnino non sim <sup>1</sup>,

Variæ lectiones.

<sup>1</sup> Sum Paris.